



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XXXIX. Cum quanta reuerentia grauitate, & honestate sacramentum
matrimonii est suscipiendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

cantibus sic deputatis & commissis, in absoluendo ampliori
rem potestatem, quam curatis vel parochialibus sacerdo-
tibus est a iure concessa: nisi forsitan eis ecclesiarum præ-
lati, vberiorem in hac parte gratiam specialiter duxerint
faciendam. Guardianos autem, custodes, & alios fratrum
Mendicantium præfectos, hortamur in Domino, ut in
ecclesiarum suorum conuentuum loco ad legendum a-
ptiore chartam præsentatorum suorum nomina conti-
nentem statuant: quatenus qui volent Mendicantibus
confiteri, videant prius si sint de nominatorum &
probatorum numero, alias absolutos se non fore intel-
ligant.

ANNO
CHRISTI
1547.

XXXVIII.

Quoniam abbates nonnunquam attentant munus con-
firmationis conferre, idque vendicant ex consuetudine
præscripta ad se pertinere: nos attendentes hanc impo-
sitionem manuum a Christo primum institutam, & ab
apostolis receptam, solis episcopis (qui apostolorum sunt
successores) reseruatam, consuetudinem huiusmodi (qua
potius corruptela dicenda est) reprobamus. Quod si qui
sint qui contendant fibi competere hanc facultatem ex
priuilegio, volumus quod, cum primum fuerint requisi-
ti a suffraganeis nostris, de priuilegio fidem facere te-
neantur. Et idem statuimus obseruandum, quantum ad
illos qui calicum consecrationem attentant.

XXXIX.

Sane cum matrimonium a Deo rerum omnium con-
ditore in paradiso & in statu innocentiae institutum fue-
rit, sitque, teste Apostolo, sacramentum: proinde cum
magna reuerentia ac deuotione suscipiendum, vtpote
in quo (sicut & in reliquis sacramentis) gratia confe-
ratur: prohibemus ne in sponsalibus aut nuptiali benedi-
ctione fiant risus, cachinnationes, aut alia ridicula verba
enuntientur. Quinimo moneantur affidati, quatenus ie-
iuni, contriti, & confessi, ac cum multa reuerentia ad hoc
sacramentum accedant. Illum quoque abusum, qui inua-
luit in quibusdam partibus, vt benedictio nuptialis &
Benedictio
de nupti-
alē & Mis-
sa solum
in die cele-
brari debe-
re. Missa celebrentur statim post medium noctem, tollimus
& amputamus: statuentes, quod talia deinceps non fiant,
nisi post ortum solem ac illucescentem diem. Siquidem

ANNO CHRISTI
1527. exemplo perniciose interdum compertum est, solennitates huiusmodi nuptiales sic in latebris & occulto factas clandestinis matrimonii viam aperuisse, & occasionem dedisse contempnendi tam excellens sacramentum, & lasciuias ac spurcias quasdam committendi.

Sed cum ex clandestinis matrimonii grauia eueniant in dies scandala ac pericula, volumus omnes contrahentes, consulentes, scienter interessentes, auxiliantes, & adiuuantes sententiæ excommunicationis ipso facto subiacere.

De clandestinis matrimonii non attentan-
dis.

XL.

Et ut nihil sine discreione in ecclesia Dei fiat, expediens & rationabile visum est, propter lasciuas imagines & veritati scripturæ non conuenientes, si in posterum, præcedente episcopi aut commissi eius iudicio & visita-
tione, imagines in ecclesiis collocentur.

Ex multorum fida relatione didicimus, simplicem populum aliquando leui assertione miraculorum ad unum & alterum locum populariter concurrisse, candelas & alia vota obtulisse. Ut igitur credulæ simplicitati nobis commissæ plebis consulamus, & nouis impudentibus que hominum mente corruptorum ad quæstum occa-
sionibus obuiemus; sacro approbante prouinciali Concilio, districte prohibemus, ne quis posthac miraculum de nouo factum prætendat: neve intra aut extra ecclesiam, titulum, capellam, aut altare prætextu novi miraculi erigat, aut populi concursum in miraculi gratiam & ve-
nerationem recipiat: nisi prius loci episcopus de nego-
tio quid sentiendum tenendumque sit causa cognita de-
creuerit.

Concilii postrema conclusio.

Et quia parum esset iura & statuta condere, nisi es-
sent qui ea tuerentur & executioni demandarent, idcir-
co volumus, statuimus, & ordinamus sub poenis ante di-
ctis, omnia & singula supra scripta, sic, vt præmittitur, in
dicto sacro prouinciali Concilio decreta, statuta & ordi-
nata, per omnes suffraganeos nostros in suis Synodis inti-
mari & publicari, illaque in futurum inuiolabiliter ob-
seruari, executionem huiusmodi pœnarum eisdem nostris suffraganeis tenore præsentium committentes. In quo-